

mus concipere naturam angelicam cum omnibus suis predicatis essentialibus, & sine negatione divisibilitatis in plura individua. Tum etiam: nam si hoc non posset fieri, natura angelica non esset universalis logice adhuc secundum rationem tantum, sicut Petrus non potest esse universalis.

Roboratur secundò, ex his quæ docent N. Complur. abbrev. in Logica, ubi aiunt, quod licet in Angelo eadem entitas realis sit differentia specifica & individualis, munera tamen talis entitatis sunt valde diversa: quod colligunt ex eo, quia singularitatis non est de essentia alicuius creature: ergo unitas numerica distinguit virtualiter ab unitate specifica.

57 Ad argumentum respondetur, quod natura angelica potest concipi dupliciter, vel adæquate & perfecte, secundum omnia quæ pertinent ad lineam naturæ, quo pacto concipitur ab ipso Angelo; vel inadæquate & imperfecte, prout concipitur à nobis in hoc statu adinstar naturæ specificæ rei materialis. Inter quos modos concipiendi naturam angelicam hoc est discrimen, quod priori modo concepta dicit repugnantiam ad essendum in pluribus, non solum quia explicite dicit conceptum individualem ei essentialem, sed quia ex vi conceptus specificæ exprimit radice essentialiter prædictum conceptum individualem essentialem. Posteriori autem modo concepta, solum dicit ordinem ad genus, & ad suam differentiam atomam, prout hæc præscindit à differentia individuali, & à radicatione illius, nec curat, an sit receptibilis, vel irreceptibilis in materia. Igitur D. Thomas solum loquitur de natura Angeli posteriori modo accepta: ex quo inepte potest deduci non repugnare ei dividi in plura individua. Et quod hæc sit mens D. Thomæ, aperte colligitur ex verbis eius præcedentibus, in quibus ait, quod individuatio forma separata, & per se subsistentis, qualis est angelica, individuatur ex hoc, quod non est receptibilis in materia; cum tamen esse irreceptibilem in materia pertineat ad conceptum eius specificum adæquate acceptum.

58 Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, quod naturam divinam esse actum purum, & infinitam est sufficiens ratio, vt in ea non distinguantur virtualiter differentia specifica, & individualis, nec detur in ea compositio metaphysica ex specie & differentia individuali; non verò unitas: quia præter hanc est in ea alia ratio etiam sufficiens, vt careat prædicta distinctione & compositione, videlicet, esse irreceptibilem in materia.

Ad primum quo roborabatur prædicta confirmatio: Respondetur, quod conceptus, quem possumus formare de natura specifica Angeli, quin includatur differentia eius individualis, solum habet fundamentum in nostro imper-

fecto modo concipiendi, iuxta quem concipimus eam adinstar naturæ specificæ rei materialis. Et propter hoc minus rectè argui valet, quod unitas numerica, & specifica distinguantur in Angelo virtualiter ex parte rei conceptæ. Sicut natura divina potest etiam hoc modo concipi à nobis pro hoc statu, quin ex hoc possit argui distinctio virtualis ex parte rei conceptæ, & cum fundamento in re inter differentiam eius specificam, & individualem.

59 Ad secundum quo roborabatur eadem confirmatio: Respondetur, Complutenses, dum aiunt, quod singularitatis non est de essentia alicuius creature, & quod sola essentia divina est essentialiter singularis, tantum loqui de singularitate impermixta cum aliqua universalitate tam secundum rem, & rationem, quam secundum rationem tantum: singularitas enim huiusmodi requirit esse de essentia alicuius creature, sed est propriissima naturæ divinæ, ex eo quod est actus purus. Cum quo rectè cohæret, quod detur singularitas, quæ sit fit de essentia alicuius creature, vt sit permixta cum universalitate, quæ sit talis secundum rem & rationem, & cum alia universalitate, quæ sit talis secundum rationem tantum. Et huiusmodi est singularitas natura angelicæ, quæ est fit de essentia Angeli ob rationem prætraditam, revera est identificata realiter cum ratione generica, quæ est universalis secundum rem & rationem simul, & est identificata absolute distinctione virtuali cum differentia specifica, quæ est universalis secundum rationem tantum, non existente fundamento adæquato in ipsa re concepta, sed in nostro imperfecto modo concipiendi.

Neque contra prædictam expositionem vim aliquam habet id, quod addunt, nempe quod differentia individualis, & specifica sunt munera valde diversa: quia ad hoc sufficit distinctio virtualis ex nostro imperfecto concipiendi modo. Pro quo scito, quod inter distincta virtualiter tantum ex nostro modo imperfecto concipiendi datur sua latitudo: nam quædam ita distinguuntur virtualiter ex nostro tantum imperfecto modo concipiendi, quæ adhuc in rebus inferioribus non reperiantur distincta. Alia distinguuntur virtualiter ex imperfecto modo concipiendi tantum, quia pertinent ad eandem lineam, sed æquivalent rebus inferioribus vel realiter, vel virtualiter distinctis, quæ comparative ad priora possunt dici valde diversa. Et in hoc sensu loquuntur prædicti Patres, dum aiunt, quod in Angelo differentia specifica, & individualis sunt munera valde diversa.

60 Ex dictis præoccupata manet tacita obiectio, & aperitur discrimen, cur natura angelica potest esse species prædicabilis, secus natura divina, non obstanti quod utraque natura sit essentialiter singularis, & æquè potest concipi

pro

pro hoc statu sine singularitate. Hoc, inquam, discrimen oritur ex eo, quod qualibet natura prius est genus prædicabile quam species; & cum natura divina, ex eo quod est actus purus, non est capax generis, propterea nec potest esse species prædicabilis adhuc secundum rationem. Natura verò angelica constat revera ex genere & differentia, quia est finita: unde non adest ei hoc impedimentum, vt possit fieri species prædicabilis secundum rationem tantum.

61 Sed dices: Ex dictis saltem inferri, quod non detur individuum aliquod inter Angelos. Quia materia prima non solum est radix distinctionis individualis, sed etiam individuationis.

Respondetur, quod sicut materia est radix distinctionis purè individualis, ita est radix unitatis purè individualis. Unitas verò & distinctio, quæ ita sunt numerica, quod sint simul absque distinctione virtuali specificæ, non possunt desumi tanquam à prima radice à materia, sed unice à forma. Quocirca ex eo, quod in Angelis non detur materia, non inferitur, quod non sint inter eos individua: quilibet enim Angelus in particulari est ex vi suæ formæ species completa & individuum.

62 Arguitur secundò: Non repugnat, quod natura (v.g. Michaëlis) recipiat maiorem perfectionem substantialem, quam conaturaliter habet: sicut non repugnat, quod lux Solis augeatur in perfectione ultra perfectionem sibi debitam: ergo neque repugnat, quod multiplicetur in pluribus individuis. Consequentia probatur: Nam natura illa, quæ potest augeri in perfectione substantiali, potest in vno individuo esse magis perfecta, & in alio minus: ergo potest dividi in plura individua. Maxime: Quia non esse infinita intra suam speciem adhuc negativè: quod sufficit, vt possit numero multiplicari.

Et confirmatur primò: Nam potuit Deus creare illas animas extra corpus, quas creavit in corpore: ergo etiam potest creare plures Angelos intra eandem speciem atomam. Patet consequentia: quia anima est immaterialis, & in prædicta hypothese corpus nihil conduceret ad eam individuacionem.

Confirmatur secundò: Nam actio Dei, qua produxit naturam atomam Gabrielis, est iterabilis: ergo Deus potest producere plures Angelos intra eandem speciem atomam. Patet consequentia: nam actiones eiusdem rationis petant producere terminos eiusdem speciei. Antecedens verò probatur: Tum, quia actio, quæ potest interrumpi, potest iterari, si dependeat unice ex virtute activa producentis, & ipsa virtus permaneat; sed hæc omnia verificantur in actione productiva Gabrielis: ergo potest iterari. Tum etiam: quia Deus potest annihilare Gabrielem, & postea producere Angelum eius-

dem speciei: sed hic non esset idem numerus cum Gabriele: quia, vt inquit sententia Thomistarum, non posset idem numero resurgere corrupto corpore, nisi maneret anima: ergo actio, qua producta fuit natura Gabrielis, potest iterari.

63 Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Quia cum Angelus absque aliquo superaddito sit individuatus, non potest aliquid perfectionis ab eo tolli, aut ei superaddi, quin mutetur substantialiter species. Unde qualibet variatio substantialis in individuacione esset simul variatio in specie. Exemplum lucis nihil prodest. Quia lux est in subiecto, à quo individuatur; & sicut subiectum illius potest variari, ita lux potest crescere in perfectione individuali ratione alterius subiecti.

Ad primam confirmationem respondetur concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia anima rationalis in illa hypothese diceret ordinem ad corpus, alias non esset eiusdem speciei cum anima rationali nunc existentem: Angelus verò nullam habitadinem dicit ad materiam, à qua unice sumitur individuatio substantialis pura.

Ad secundam respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum, est, quod actio Dei, qua produxit Angelum, ita potest interrumpi quoad effectum, quod non possit interrumpi in seipsa, quia est immanens & æterna. Et ita annihilato Gabriele, si vellet Deus producere Angelum intra eandem speciem, necessario reproduceret eundem numero Angelum. Ad secundam: Dicimus, esse diversam rationem de creatione, ac de resurrectione. Nam non dicitur resurgere nisi ille, cuius aliqua pars, scilicet anima, manet post desicionem, vt constat: Recitari autem potest dici id, cuius nihil mansit: quia sicut in prima creatione fuit creatum ex nihilo, ita in secunda potest ex nihilo recreari.

64 Arguitur ultimò: Nam speciem Angelis non posse pluribus communicari, vel oritur ex perfectione, vel ex imperfectione? Non primum: siquidem natura divina est infinite perfecta, & pluribus communicatur. Nec secundum: quia naturæ corporeæ sunt imperfectiores, & communicantur pluribus: ergo non est, unde hæc communicabilitas repugnet naturæ angelicæ.

Respondetur triplicem esse communicabilitatem speciei atomæ: Prima fit cum limitatione ad certum gradum suæ perfectionis; & est propria naturæ universalis respectu suorum inferiorum. Secunda fit sine limitatione: & hæc convenit præcise naturæ divine respectu trium personarum, quia est infinita. Tertia fit per assumptionem alienæ naturæ ad vnionem hypo-

stati.

staciam: & hac convenit cuilibet nature create, maximè nature humane, quæ ita fuit assumpta à personalitate Verbi, vt simul esset communicabilis alijs personis divinis. Inter quas hæc est differentia, quòd prima repugnat Angelo propter illius perfectionem, & remotiorem à materia: & de hac est in presenti sermo. Secunda etiam repugnat illi propter eius imperfectionem, videlicet, quia non est infinitus, & actus purus. Tertia demum convenit Angelo propter eius imperfectionem, quia scilicet essentia eius distinguitur à subsistentia, & existentia. Sed ex hoc nequit argui, quòd possit numero multiplicari in pluribus individuis.

DUBIUM III.

Verum Angelus sit ex natura sua incorruptibilis?

Incorruptibile ex natura sua dicitur, quòd non habet principium positivum suæ destinationis vel per modum anihilationis, vel per transitum de esse ad non esse in aliquo subiecto. Iuxta quæ vt certum debet supponi, Angelum esse incorruptibilem posteriori modo, imò nec Deus sua potentia abolita potest hoc modo illum corrumpere: quia nec est, nec potest esse in eo subiectum seu materia, in qua fiat transitus de esse ad non esse. Unde tota difficultas reducitur ad primum modum destinationis seu corruptionis. Cuius decisio non parum iuvabit ad eius perfectionem exponendam.

§. I.

Decisio dubij.

65 **D**icendum est, Angelum esse ex natura sua incorruptibilem. Ita communiter Doctores, præter paucos infra referendos. Et probatur ratione Div. Thomæ in præf. art. 5. ad 3. ubi ait: *Non dicitur aliquid esse corruptibile, per hoc quòd Deus possit illud in non esse redigere subtrahendo suam conservationem, sed per hoc quòd in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materia;* sed Angelus non habet tale principium: ergo est ex natura sua incorruptibilis. Minor probatur: Nam principium corruptionis non potest esse aliud, quam potentia passiva ad non esse; sed in Angelo non est huiusmodi potentia, ergo. Minor probatur: in substantijs corporeis non est alia potentia ad non esse, nisi materia; sed Angeli caret materia: ergo non est in eis potentia passiva ad non esse.

Confirmatur: Nulla potentia habet inclinationem primariam ad non esse, sed ad summum secundariò & per accidens, inquantum est

potentia ad aliud esse; sed Angelus adhuc hoc posteriori modo non habet inclinationem ad non esse: ergo est ex natura sua incorruptibilis. Maior est certa: nam non esse habet rationem mali; malum autem sub ratione talis non potest esse obiectum privationis inclinationis naturalis. Minor verò probatur: Nam intantum aliqua res habet secundariò & per accidens inclinationem ad non esse, inquantum habet potentiam inclinantem ad aliud esse distinctum, & impossibile cum præexistenti; sed Angelus non habet potentiam ad aliud esse: ergo. Maior, & minor probantur: Nam sola materia est potentia inclinans ad non esse præexistens, quia inclinatur ad aliam formam impossibilem cum præexistenti; sed Angelus caret materia: ergo.

66 Respondebis primò cum Vazquo, quòd vt Angelus sit ex natura sua corruptibilis, sufficit, quòd habeat potentiam passivam ad esse non omnino indefectibile. Ad hoc autem ve habeat hanc potentiam, non requiritur materia, sed sufficit sua innata natura.

Sed contrà est: Nam ad hoc vt Angelus sit ex natura sua corruptibilis, non sufficit, quòd habeat potentiam ad esse, quòd non sit omnino indefectibile (hoc enim repugnat cuilibet creature ex conceptu communi creature, vt ex se liquet) sed requiritur, quòd habeat potentiam passivam ad esse, quòd ex natura sua sit defectibile; sed esse Angeli non est ex natura sua defectibile, sed potius è converso est ex natura sua indefectibile: ergo Angelus est ex natura sua incorruptibilis. Maior liquet exemplo caloris, qui ex natura sua est calefactivus, quamvis per divinam potentiam & subtractionem concursus Dei possit non calefacere: Pariter ergo, vt esse Angeli sit defectibile ex natura sua, non sufficit, quòd sit defectibile subtracto concursu conservativo Dei, sed ulterius requiritur, quòd in Angelo existat potentia exigens ex natura sua subtractionem concursus Dei conservativi. Minor probatur: Tum, quia esse Angeli mensuratur avo, vt docent communiter Theologi: ergo si avum est ex natura sua indefectibile, etiam esse Angeli, vt sic detur debita proportio inter rem mensurabilem, & eius connaturalem mensuram: Tunc sic; sed avum in communi sententia est ex natura sua incorruptibile, sicut & æternum à parte pòst, ita vt per hoc distinguitur à tempore tam successivo, quam discreto: ergo. Tum etiam: Nam esse Angeli explet quoad omnia sua substantialia appetitum, quem habet ad essendum: ergo est ex natura sua incorruptibile. Patet consequentia: quia esse, cui convenit explere appetitum ad essendum, est ei debitum, quòd semper sit, ex suppositione quòd semel sit: sicut contrà esse, quòd non explet appetitum ad essendum, non est ei debitum, quòd semper sit. Antecedens verò probatur (per quòd

quòd consequentia magis roboratur) Nam si non explet appetitum, quem habet Angelus ad essendum, esset in eo potentia passiva ad aliud & aliud esse substantialia; sed hæc potentia Angelo repugnat, cum non sit alia quam materia prima, vt liquet in rebus materialibus: ergo. Adde: Quia si esse Angeli esset ex natura sua corruptibile, conservatio eius esset miraculosa, quòd est hæcufque inauditum.

67 Respondebis secundò cum eodem Vazquo, quòd Angelus habet ex natura sua potentiam passivam, vt à Deo annihiletur; & hoc sufficit, vt sit ex natura sua corruptibilis. Quòd autem præfata potentia ei conveniat ex natura sua, probat ex eo, quòd talis potentia convenit ei ratione suæ formæ intrinsecæ. Quibus addit: quòd sicut res, antequam fiat, habet potentiam ad essendum; ita, postquam est facta, habet potentiam ad non essendum: utraque enim est æquè possibile; res autem possibilis habet ex natura sua potentiam passivam, vt possit à Deo produci pro priori ad omnipotentiam, ne committatur circulus vitiosus in explicatione possibilitatis obiectivæ: eorum pariter ergo Angelus habet ex natura sua potentiam passivam, vt à Deo annihiletur. Et hoc sufficit, vt sit ex natura sua corruptibilis.

Sed hæc evasio, sicut & præcedens non enervat rationem Div. Thomæ. Nam vt aliqua natura sit ab intrinseco & ex natura sua corruptibilis, requiritur, quòd habeat positivam potentiam passivam, qua exigat, vt à Deo annihiletur; sed Angelus caret huiusmodi potentia: ergo. Minor probatur: Nam non est idem habere naturam, qua indiget à Deo conservari, & potest non conservari, ac habere potentiam passivam exigentem à Deo annihilari: sicut in calore non est idem, quòd ad calefaciendum indigeat concursu Dei, & hic concursus possit suspendi, ac quòd habeat potentiam passivam ad non calefaciendum; sed ultra hanc non repugnantiam ad non essendum nulla alia potentia positiva assignatur ab Adversarijs in Angelo, exigens vt à Deo annihiletur: ergo. Adde: Quia, vt supra vidimus, sola illa potentia passiva arguit corruptibilitatem in aliqua natura, quæ habet appetitum ad aliud esse impossibile cum præexistenti: ergo, vt Angelus sit ex natura sua corruptibilis, non sufficit, quòd habeat naturam, cui non repugnet annihilari.

Id quòd additur de possibilitate, statim corrigit ex dictis tract. 3. disp. 4. à num. 5. Ex quibus constat, in possibilibus nullam dari potentiam physicam & positivam, ratione cuius exigant esse, alias haberent potentiam realem ad essendum, antequam essent; sed possibilitatem rerum resultare ex non repugnantia terminorum per modum subtracti, & ex potentia extrinseca Dei. Ex quo potius desumitur vrgens

probatio pro nostra conclusione, si rectè hoc exemplum præfati materia accomodetur.

68 Secundò probatur ratione desumpta ex D. Thoma infra quæst. 75. art. 6. Nulla forma per se subsistens est ex natura sua corruptibilis; sed Angelus est forma per se subsistens: ergo non est ex natura sua corruptibilis. Minor est certa: quia Angelus est forma totaliter independens à materia in suo fieri, esse, & operari, quæ sunt omnia requisita ad formam per se subsistentem, vt liquet in anima rationali. Maior verò probatur: Nam forma per se subsistens non est ex natura sua corruptibilis corruptione per accidens, aut corruptione per se, seu anihilatione: ergo non est ex natura sua corruptibilis. Consequentia est legitima: quia nequit excogitari aliud genus corruptionis.

Antecedens verò quoad primam partem probatur: Nam id corrumpitur corruptione per accidens, quòd corrumpitur ad corruptionem alterius; sed forma per se subsistens nequit corrumpi ad corruptionem alterius: quia non habet esse dependenter ab alio, & vnanquodque habet generari, & corrumpi, eo modo quo habet esse: ergo nequit corrumpi corruptione per accidens. Quoad secundam etiam probatur: Nam id est corruptibile per se, à quo potest separari existentia, vel forma, vel utraque sed à forma per se subsistenti nequit separari existentia, forma, aut utraque: ergo non est ex natura sua corruptibilis corruptione per se. Minor probatur: Imprimis existentia per se convenit formæ per se subsistenti, vt supponimus ex alibi dictis; sed quòd convenit alicui subiecto per se, nequit ab eo naturaliter separari: ergo existentia nequit naturaliter separari à forma per se subsistenti. Deinde idem non potest separari à seipso: ergo forma nequit separari à forma per se subsistenti. Tandem idem argumentum fit, vt utraque nequeat separari à forma per se existenti. Quoad tertiam partem; probatur idem antecedens: Nam anihilatio est actio miraculosa, vt docet Div. Thomas infra quæst. 104. art. 4. ergo nulla res petit connaturaliter annihilari.

69 Respondent primò Adversarij, negando illud antecedens quoad secundam eius partem. Cuius probatio corrigit ex eo, quòd cum existentia prædicetur accidentaliter de qualibet creatura, nulla est forma creata, cui existentia competat per se.

Sed hæc evasio fundatur in sinistra intelligentia rationis D. Thomæ. Pro cuius luce observa primò, quòd aliquid convenit alicui per se contingit dupliciter: vno modo simpliciter, alio modo physice. Hæc duæ perfectitates in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt. Differunt namque in eo, quòd perfectitas simpliciter fundatur in habitudine terminorum, nihil non necessarium supponens; & hoc modo quinariorum

comperit esse imparem. Ex quo sequitur, quod hec perfectas est adeo necessaria, vt oppositum implicet contradictionem. Perfectas autem physica non fundatur in habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit. Conueniunt tamen ea, quod quemadmodum id, quod conuenit alicui per se simpliciter, necessario & inseparabiliter ei conuenit, ita proportionabiliter quod conuenit alicui per se physice, facta suppositione illa non necessaria, inseparabiliter, & necessario necessitate cursus naturalis ei conuenit. Et ex ipsa perfectate simpliciter sumitur sufficiens ratio ad perfectatam physicam, proportionate seruata.

Obserua secundum, quod licet forme create per se subsistenti conueniat existere per accidens, prout distinguitur contra per se simpliciter: conuenit tamen existere per se physice: quia semel supposita productione illius, quæ est ei aliquid non necessarium, existentia conuenit ei inseparabiliter, & necessario necessitate cursus naturalis. Ex his prædicta euasio manet satis impugnata, quin oporteat supra dicta ad formam redigere.

70. Respondetis secundum cum eisdem Adversarijs, negando idem antecedens quoad eandem secundam partem. Cuius probatio saltem corruit ex eo, quod conuenire aliquid alicui per se est idem ac conuenire immediate: ex quo minus recte colligitur, quod conueniat ei inseparabiliter, seu necessario necessitate adhuc cursus naturalis; vt liquet in forma respectu materiae, & in albedine respectu quantitatis.

Sed hæc euasio etiam procedit ex sinistra intelligentia D. Thomæ. Pro quo nota primò, quod aliquid potest alicui per se immediate, id est, non mediante alio, dupliciter conuenire: vel ita, vt non mediet aliqua forma, sed mediet alia actio: vel ita, vt nec mediet aliqua forma, nec alia actio saltem naturaliter loquendo: Inter quæ hoc est discrimen, quod si mediat alia actio secundum cursum naturalem, est non mediet aliqua forma, non conuenit ei inseparabiliter & necessario necessitate cursus naturalis; & ita contingit in exemplis supra adductis. Ceterum si non mediat aliqua forma, nec alia actio, tunc debet ei conuenire inseparabiliter: quia quæ eadem actione generantur, eadem corruptione corrumpuntur. ¶ Nota secundò, quod forma per se existenti & subsistenti ita conuenit per se, seu immediate existentia, vt nec mediet aliqua forma, nec mediet per se loquendo alia actio; quia omnis actio productiua forme per se loquendo tendit ad producendam existentiam. Ex his ergo manet satis impugnata hæc secunda euasio.

71. Sed obijcies: Nam omni forme substantiali mixtorum ita conuenit existentia per se seu immediate, vt non mediet alia actio per se loquendo; & tamen est corruptibilis: et

go do Ærina proposita nihil inferre ad propositum.

Respondetur: fatendo, quod inter formas mixtorum, eorumque existentiam non mediat alia actio, sed inde recte arguitur, quod existentia illorum est naturaliter inseparabilis ab illis, & propterea ex hoc capite essent incorruptibiles, nisi aliud intercederet, quod est ratio sua corruptionis, nempe quia supponunt potentiam positivam passivam, videlicet materiam primam, quæ dicit ordinem ad aliam formam, & ad aliud esse, & machinatur destructionem præexistentis. Hæc autem potentia positiva passiva non habet locum in Angelis: & propterea ex nullo capite potest esse ex natura sua corruptibilis.

§. II.

Sententia contraria:

72. PRO contraria sententia præter nonnullos hæreticos, qui somniant in Angelis dari diuersitatem sexuum maris, & foeminae, ac proinde esse corruptibiles, referuntur Aletius, Bonav. Scotus, Ricardus, Vazquez, & alij. Pro qua:

Arguitur primò: Nam Apost. 1. ad Timoth. 6. ait: *Solus Deus habet immortalitatem*, ergo Angelus est mortalis, & corruptibilis. ¶ Confirmatur ex sexta Synod. gener. act. 13. ubi dicitur, Angelos per gratiam, & non per naturam esse immortales. Adde plura testimonia PP. dicentium Angelos esse immortales non natura, sed gratia. Ita Damasc. Ambr. brof. N. Cyrill. Bernard. & alij.

Ad argumentum respondetur, sensum Apostoli solum esse, quod solus Deus habet immortalitatem a se, in quo sensu etiam dicitur Marc. 10. quod *solus Deus est bonus*: & ad Rom. 16. *Solus Deus est sapiens*. Quæ expositio est iuxta mentem D. Augusti. lib. de *Natura boni* cap. 39. epist. 28. & D. Hieronymi. ad Titum capit. 1. Vel potest exponi, quod solus Deus habet immortalitatem omnimodam respectu cuiuscunque potentie extrinsecæ, quæ nulli creature potest competere: Sed per hoc non tollitur, quod Angelus, & nonnullæ aliæ creature, atenta conaturali eorum exigentia, sint incorruptibiles & immortales.

Ad confirmationem: respondetur, per illa verba Concilij solum significari, quod Angeli non habent immortalitatem a se, sed a Deo titulo creationis, quæ quodammodo potest appellari *gratia*, quia ex libera & gratiosa voluntate Dei, & sine vilo debito creati sunt. Eodem modo occurrit testimonij PP.

73. Arguitur secundò: Nam omne, quod ex natura sua est ex nihilo, ex natura sua est corruptibile in nihilum, vt sic finis correspondat prin-

principio; sed Angelus ex natura sua fuit factus ex nihilo: ergo ex natura sua est corruptibilis in nihilum: ergo ex natura sua est corruptibilis corruptione impropria, scilicet, anihilatione.

Et confirmatur: Angeli sunt ex natura sua corruptibiles respectu diuinae potentie: ergo absolute sunt ex natura sua corruptibiles. Consequenter probatur: Nam corruptibile illud dicimus, quod ex natura sua est corruptibile respectu alicuius potentie.

Ad argumentum respondetur cum D. Thoma infra quest. 75. art. 6. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod sicut posse creari dicitur aliquid non per potentiam passivam, sed solum per potentiam actiuam creatis, qui ex nihilo potest aliquid producere; ita cum dicitur aliquid corruptibile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non esse, sed in Creatore potentia ad hoc, quod esse non insuat. Dicitur autem aliquid corruptibile, per hoc quod inest ei potentia ad non esse. Unde sicut in Angelo, antequam fiat ex nihilo, non est potentia passiva, qua potest positive fieri ex nihilo; ita, postquam est factus, non habet positive potentiam passivam, vt redigatur in nihilum (& sic finis correspondet principio) sed tantum meram non repugnantiam; que non sufficit, vt dicatur corruptibilis ex natura sua.*

Ad confirmationem respondetur cum eodem Angel. Mag. infra quest. 104. art. 4. quod aliud est, quod Angeli sint corruptibiles absolute ex natura sua; aliud quod sint corruptibiles ex natura sua cum addito, nempe respectu diuinae potentie. Verum quidem est, quod Angelus est corruptibilis ex natura sua cum addito, id est respectu diuinae potentie: sed per hoc tantum innuitur, quod habeat naturam, cui non repugnet destrui a diuina potentia. Quod non sufficit, vt dicatur corruptibilis ex natura sua absolute (ne lis nostra sit tantum de voce) sed vterius requiritur, quod in eo sit potentia positiva passiva, qua exigat redigi in nihilum; quod non solum Angelo, verum & cuiuslibet creature non conuenit, vt ibi docet D. Thomas.

74. Arguitur tertio: Nullum ens præter Deum est per se necessarium: ergo Angeli sunt ex natura sua corruptibiles. Antecedens est certum: siquidem omnia entia creata sunt indifferencia ad esse & non esse, & dependent ex libera voluntate Dei, vt sint, & non sint. Consequenter verò probatur: Nam omne ens, quod non est necessarium ex natura sua, ex natura sua est corruptibile.

Respondetur, quod Deus solus est ens necessarium tam physice, quam logicè, quia ei repugnat habere aliquam causam, cum sit ens a se. Sed plura entia creata, quamuis sint entia contingentia logicè ob oppositam rationem; sunt tamen necessaria necessitate physica & naturali: ad quod sufficit, quod non habeant causam in-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

trinsecam, ratione cuius petant destrui; nec petant destrui per extrinsecam, est eis non repugnet. Et hoc modo sunt Angeli, vt satis ostensum est.

DUBIUM IV.

An Angelus sit in loco: Et quomodo?

Considerata Angeli substantia secundum se & absolute, mox cum considerat D. Thomas in ordine ad corpora ab eis assumpta, de quo non nihil diximus dub. 1. §. 4. Vnde, quæstione 51. prætermissa, gradum facimus cum Ang. Magiñero ad quæstionem 52. in qua eam contemplantur per comparisonem ad loca. Et primum, quod recta methodo debet inquiri, est, quod titulus præfert.

§. I.

Duplex assertio:

75. Dicendum est primò, Angelum esse in loco. Hæc assertio aperte deducitur ex pluribus sacre pagine testimonijs. Et primo ex illis, in quibus denotatur, Angelos esse alligatos quoad suam substantiam alicui loco: Ita Apocal. 20. & Tobia 8. Secundo ex illis, in quibus asseritur, demones esse in corporibus humanis, ab eisque expelli: Ita Marc. 3. Lucæ 8. & Matth. 12. Tertio & vltimo ex eis, in quibus innuitur, Angelum recedere ab vno loco, vt accedat ad alium: vt Isaia 4. Lucæ 10. *Videbam satanam sicut fulgur de celo cadentem*: Apocal. 12. *Neque locus inuentus est eorum amplius in celo*: Et Genes. 18. & 19. ubi denotatur, Angelos uenisse ad Abraham & Loth, & cum illis deambulasse. Eamque docent communiter PP. & præcipue D. Thomas, quem sequuntur omnes Theologi.

Et probatur ratione: Angelus quandoque solet contingere immediate tam immediatione virtutis, quam immediatione suppositi corpora, & loca corporea, operando intra terminos eorum; sed nihil aliud desideratur, vt sit in illis tanquam in locis: ergo Angelus est in loco. Minor probatur: Tum, quia non alia ratione Deus est vbique seu in omnibus locis, nisi quia omnino immediate contingit ea contactu virtutis, operando in eis, quin obicit, quod sit pure spiritualis: ergo vt Angelus sit in loco, sufficit, quod omnino immediate contingat illum per contactum virtutis, operando intra terminos illius, quin ei obicit, quod sit spiritualis. Tum etiam: nam ideo corpus est in alio tanquam in loco, quia tangit illud immediate per quantitatem molis: ergo etiam Angelus erit in loco, si tangit illum omnino immediate per contactum virtutis.

S

Ref.

76 Respondebis, non sufficere, ut Angelus sit in loco, quod contingat illum omnino immediate per contactum virtutis, siquidem corpus Christi non est in speciebus sacramentalibus tanquam in loco; & tamen contingit eas omnino immediate per contactum virtutis, conservando eas effective.

Sed contra est *primò*: Nam de ratione loci est, quod comparatur ad locatum per modum alicuius omnino extrinseci, & non per modum alicuius affectionis, seu dimensionis intrinsecæ, aliàs substantia esset in sua quantitate tanquam in loco; sed quodlibet corpus comparatur ad Angelum per modum alicuius omnino extrinseci, scilicet verò species sacramentales respectu corporis Christi: siquidem gerit vices panis, qui in illud conversus est: ergo ex eo quod Angelus contingat omnino immediate per contactum virtutis corpora, optime inferitur esse in eis tanquam in loco, quamvis non inferatur ex simili contactu, quod corpus Christi est in speciebus tanquam in loco. ¶ *Secundò*: Nam corpus Christi ita est in speciebus, ut non limitetur sub illis, ut ex se liquet: e converso contactus immediatus Angeli ratione sue virtutis cum corpore limitatur, ut infra explicabimus; sed de ratione loci est limitare locatum quoad presentiam, & existentiam in illo, nisi obstat infinitas, quæ solam est in virtute divina: ergo est contactus immediatus virtutis non arguat, presentiam corporis Christi in speciebus esse in illis velut in loco, bene verò presentiam Angeli in corpore.

77 Dicendum est *secundò*, Angelum ita esse in loco, ut non sit in illo univoce cum corporibus, sed tantum æquivocè & abusive. Ita Arist. 4. Physic. text. 1. 19. ut exponit D. Thomas in præf. art. 1. & 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. Boëtius, & Nazianz. relati ad eodem Angel. Doct. ibidem, D. August. 8. super Genesim ad litteram cap. 20. ubi probat, Deum non esse in loco nisi abusive. Ex quo similis modus existendi in loco suadet in Angelo, quia per similem contactum est in illo. Id ipsum expressè docet D. Thomas pluribus in locis: nam in præf. art. 1. ait: *Æquivocè dicitur Angelus esse in loco, & corpus.* Idemque ait quæst. seq. art. 1. & in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. quæst. 3. ubi conferens motum Angeli, & corporis ita inquit: *Neque est simile de motu Angeli: quia esse in loco æquivocè dicitur de corpore, & Angelo.* Item loco citato ex 1. Sent. ait, esse in loco abusive, & ad 1. etc. in illo *secundum quid.*

78 Deinde probatur ratione: Nam si Angelus esset absolute & simpliciter in loco, includeret plures imperfectiones proprias corporis; sed hoc nequit de Angelo concedi propter sui immaterialitatem: ergo. Probatur mai. Nam esse absolute & simpliciter in loco importat esse in illo tanquam mensuratum, contentum, & circum-

scriptum ab eo; sed hæc imperfectiones sunt propriae corporis, & valde alienæ a re purè spirituali: ergo si Angelus esset absolute & simpliciter in loco, involveret imperfectiones proprias corporis locati.

Et confirmatur: Angelus nequit habere contactum proprium, sed tantum metaphoricum, cum loco corporeo; sed qualibet res eo modo est in loco, quo contingit illum: ergo nequit esse proprie in loco, sed tantum metaphoricè & secundum quid. Maior probatur: Ad contactum proprium localem duorum requiritur, quod eorum ultima sint simul, ut docet Div. Thomas loco citato ex 1. Sent. sed res spiritualis, ut Angelus, proprie loquendo non habet ultimum: siquidem hoc est proprium rei habentis partes extrinsecas, & indivisibilia, quibus prædictæ partes ununtur, & terminantur: ergo Angelus nequit habere contactum proprium cum loco corporeo.

79 Respondent Adversarij, prædictas conditiones seu imperfectiones non convenire cuilibet rei existentis absolute & simpliciter in loco, sed tantum rei corporee existentis in illo: Sicut sapientia in creatis dicitur plurimas imperfectiones, quin ex hoc arguatur, sapientiam impropiè dici de Deo.

Sed contra est: Nam quando definitio alicuius rei non est facta ex se nota, nec potest ex alijs prioribus principijs probari, non est exposita explanationi & intelligentiæ cuiuslibet Authoris particularis ad suum nutum eam accipientis, sed tenenda est acceptio communis Doctorum, & præcipue Principum illius facultatis; ad quam peculiariter spectat, aliàs nihil firmum esset in scientijs; sed Philosophorum Princeps, Aristoteles, & Princeps totius scientiæ D. Thomas cum communi calculo Doctorum asserunt, quod esse proprie in loco consistit in eo, quod sit in illo cum prædictis conditionibus, ut constat ex nuper dictis; ideoque D. Thomas loco supra relato Sent. dist. 37. obiciens sibi in primo argum. Boëtium asserentem, quod *communis animi conceptio apud omnes sapientes incorporalia in loco non esse docet*: Respondet, quod communis illa animi conceptio est de modo essendi in loco proprie, non verò metaphoricè: ergo vel Angelus non est proprie & simpliciter in loco, sed tantum abusive; vel conveniunt ei prædictæ imperfectiones.

§ II.

Opposita sententia.

80 Contra primam conclusionem arguitur *primò* (cum aliquibus Philosophis, quos refert D. Thomas loco proxime allegato) ex Arist. 9. de Cælo, ubi ait, entia illa, quæ sunt supra vitam latentem, tempore

fit.

supra vitam spheram, seu cælum empyreum, non esse apta, ut sint in loco. ¶ Et potest confirmari ex D. August. lib. 83. Quæstionum quæst. 11. qui ex eo probat, Deum non esse alicubi quia caret corpore. ¶ Sed ad hoc factis constat ex dictis: sensus enim Arist. & D. August. tantum est, quod Deus, & Angelus non sunt in loco proprie & univoce cum corporibus, sed tantum abusive, improprie, & æquivocè.

81 Arguitur *secundò*: Angelus non est in loco naturali; aliàs neque est in vivo ento: ergo in nullo. Maior probatur: Nam ut locus corporeus esset Angelo naturalis, oportebat, ut Angelus haberet cum eo aliquam proportionem & connaturalitatem; sed Angelus, utpote spiritualis, nullam habet proportionem aut connaturalitatem cum loco corporeo: ergo non est in loco naturali. Minor etiam probatur: Nam locus violentus dicitur talis per oppositionem ad naturalem: ergo si non datur locus Angelo naturalis, neque debet dari violentus. Patet consequentia: quia opposita sunt circa idem subiectum.

Et confirmatur: Nam quamvis Angelus producat aliquid, quod mensuratur tempore nostro, ipse verò nec quoad suam operationem mensuratur tempore nostro, non alia ratione nisi quia est pure spiritualis: ergo similiter licet producat aliquid corporeum, quod sit in loco corporeo, ipse verò non est in illo tanquam in loco.

Ad argumentum respondetur, Angelum eadem habitudinem dicere ad locum corporeum, quod aliquando habet sufficientem proportionem cum eo, ut dicatur ei naturalis: ad quod sufficit, ut Angelus media sua operatione libera & naturali inclinatur ad essendum in eo velut in loco. Quandoque etiam constituitur in eo contra prædictam inclinationem, quod est idem ac esse violentum; & tunc accidit, quando contra eius inclinationem desinitur in loco, ne operetur in alio. Sed de hoc plura dicemus dub. sequenti.

Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam; propter notam disparitatem inter locum respectu rei locatæ, & tempus respectu rei mensuratæ per illud. Nam ad hoc ut aliquid sit in loco, sufficit, quod contingat illum sive per quantitatem virtutis, sive per quantitatem mollis, hoc est, sive contineatur passivè a loco, ut accidit in locato corporeo; sive contineat locum producendo aliquid in eo. per quod sibi illum subordinat, ut Angelo & Deo contingit. Pariter ergo, ut Angelus duraret tempore nostro, erat necesse, vel quod duratio illius contineretur a tempore nostro; vel illud contineret: neutrum tamen potest competere Angeli durationi relatæ ad tempus nostrum: non primam, quia duratio angelica est superior non solum tempore nostro, sed etiam tempore

Paul. Threl. Salm. Tom. II.

pcini mobilis: nec secundum quia unam durationem continere aliam est proprium æternitatis & durationis infinite, ut diximus tract. 1. dist. 5. Et his rationibus Angelus nequit durare tempore nostro.

82 Adversus secundam conclusionem sententiæ Nazari. in præf. Banez ibidem dub. 2. conc. 3. Suarez lib. 4. de Angelis, & alij. Et probatur *primò* nonnullis testimonijs D. Thomæ. Primum habetur in 1. dist. 37. quæst. 4. art. 1. ad 4. vbi ait: *Motus localis, secundum quod est corpus, non convenit Angelo nisi metaphoricè. Sed æquivocè loquendo de motu, convenit ei proprie; sed eadem ratio est de loco ac de motu: ergo Angelus est proprie in loco.*

Secundum demonstratur ex eadem dist. quæst. 2. art. 1. vbi inquit: *Si esse in loco signatur, secundum quod corpus in loco esse dicitur, sic non convenit Deo esse ubique nisi metaphoricè. Si autem accipiatur esse in loco, per modum quo substantia spiritualis in aliquo esse dicitur, sic propriissime Deo in loco esse convenit, & ubique.*

Tertium depromitur ex 3. part. quæst. 76. art. 5. vbi ait, quod esse in loco distinctivè, seu circumscriptivè est pars eius, quod est esse in loco; sed non esset pars, nisi esset proprie in illo: ergo cum Angelus sit in loco distinctivè, sequitur, quod sit in illo proprie.

83 Ad primam testimonium respondetur, D. Thomam in eo testimonio non velle, quod motus angelicus, absolute loquendo, sit proprie motus, sed tantum quod motus, qui est proprius Angeli, & absolute loquendo est metaphoricus & abusive, proprie ei convenit. Sicut accidens absolute loquendo est ens secundum quid, sed si fiat reduplicatio, potest dici, quod ei convenit proprie & simpliciter esse ens secundum quid. Item de homine picto, absolute loquendo, non potest dici, quod est simpliciter homo; sed si quis diceret, quod homo pictus est æquivocè homo, & quod homo ut pictus proprie habet rationem hominis æquivocè & picti, recte diceret; nec ex hoc modo loquendi posset inferri, quod homo pictus sit absolute & simpliciter homo. Sic ergo intelligenda est locutio D. Thomæ, quando ait, quod motus æquivocus proprie convenit Angelo, in quo supponit, quod absolute & simpliciter est motus metaphoricus; sicut in ratione hominis homo pictus est proprie metaphoricus.

Per quod respondetur ad secundum: Nam aliud est, quod Deus sit in loco & ubique propriissime, absolute, & simpliciter loquendo; aliud est esse in loco propriissime, ad modum quo substantia spiritualis est in loco: Quamvis ergo conveniat proprie esse in loco, eo modo quo substantia spiritualis est in illo, factus verò absolute loquendo. D. Thomas non accipiendus est in sensu posteriori, sed in priori. Ex quo ne-

§ 2

quæ

quod inferri, quod absolute loquendo sit proprie vbiq; sed proprie metaphorice, modo proime explicato. Neque ex hoc potest inferri, quod Deus sit immensus tantum metaphorice, quia vt sit, absolute & simpliciter loquendo, immensus, sufficit, quod sit metaphorice in omni loco.

Ad tertium respondetur, quod esse in loco diffinitive solum est pars equivoce & abusive huius, quod est esse in loco. Et in hoc sensu exponendus est D. Thomas; ideoque de eo, qui est in loco diffinitive, non debet verificari, quod est in loco proprie, absolute, & simpliciter loquendo.

84 Arguitur tertio: Nam de Angelo verificatur, absolute loquendo, quod est in loco corporeo: ergo etiam verificatur, quod est in illo proprie. Patet consequentia: sicut quia homo pictus tantum est metaphorice homo, inquit de illo diei absolute, quod est homo.

Respondetur, quod sicut Deus absolute dicitur irasci, quia habet proprie a tum iustitiae vindictive, quae habet aliquam similitudinem cum ira proprie sumpta, quamvis ira solum conveniat ei metaphorice & abusive, quia caret passione, quae necessario requiritur ad iram proprie sumptam: ita potest de Angelo absolute dici, quod est in loco, licet non proprie sed metaphorice sit in illo: quia sufficit, quod contactus virtutis, quo Angelus contingit locum, habeat aliquam similitudinem cum contactu corporis. Neque exemplum hominis picti convincit, propter usum communiter acceptum de homine & Deo existente in loco: quia omnes, prolo absolute homo, cum accipiunt pro homine vero & proprio; & contra iuxta vnum Scripturae, & communem hominum conceptionem absolute dicitur de Angelo & Deo, quod sunt in loco. Siquis autem velit praecindere ab hac communi acceptione, & significare quod in homine picto est aliquid, ratione cuius habet aliquam similitudinem cum homine vivo: tunc absolute posset affirmari de illo, quod est homo; sed non propter hoc esset absolute & simpliciter homo.

DUBIUM V.

Quanam sit Angelo ratio formalis existendi in loco violento?

85 Duplex locus est relatè ad Angelum, alius connaturalis, & alter violentus. Locus Angelo connaturalis dicitur ille, qui est iuxta aliquam inclinationem elicitam à voluntate ipsius Angeli: & contingit dum Angelus active, liberè, & ex propria voluntate se applicat ad aliquem locum determinatum, & collocat se in eo. Locus vero violentus dicitur ille, in quo Angelus detinetur ab agente

maioris efficaciae contra eius inclinationem elicitam. Inter quae loca hoc est differentem valde ingens, quod locus violentus tenet Angelum sibi subordinatum & subiectum, non tantum sicut passum agenti, sed etiam sicut inferius superiori & eminentiori, à quo deprimitur, humiliatur, & velut miseruntum mancipium sub eius ditione tenetur; e contra vero locus Angelo connaturalis manet Angelo subordinatus & subiectus. Igitur sermo tantum nobis est de loco violento, quia ex dictis tract. 1. disp. 4. dub. 2. satis constat, quanam sit Angelo ratio formalis existendi in loco connaturali.

86 Nota tamen primo, quod duplex est ratio formalis existendi in loco, alia radicalis & remota, alia vero proxima, vt certere licet in corporibus; in quibus substantia est illis ratio remota & radicalis existendi in loco, & quantitas est ratio proxima. ¶ Nota secundo, quod ratio proxima existendi in loco potest etiam esse duplex: alia in actu primo, & altera in actu secundo, quae est exercitium prioris; vt in corporibus etiam liquet, in quibus quantitas est illis in actu primo ratio proxima formalis existendi in loco, sed contactus ipsius quantitatis cum loco est ratio constituendi ea in loco in actu secundo, ex quo immediate resultat vbiatio. Igitur titulus quaestionis procedit non de ratione radicali, quia debet vt certum supponi, substantiam Angeli esse et rationem saltem radicalem existendi in loco violento, sed de ratione proxima tam in actu primo, quam in actu secundo.

§. I.

Probabilior sententia.

87 Dicendum est, rationem proximam in actu primo existendi in loco violento esse in Angelo potentiam eius passivam; & in actu secundo passionem se tenentem ex parte ipsius Angeli, & praedictae potentiae passivae correspondentem. Hac conclusio est consona sacrae Scripturae, in qua multoties dicitur, Angelos esse in inferno tanquam in loco per alligationem, vt in epist. canonica Iudae: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum: vinculis aeternis sub caligine reservavit.* In 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et in Apocalypsi. 20. *Apprehendit draconem: & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit.* Si ergo sunt per alligationem, manifestum est, esse in loco per passionem, & non per operationem.

Est etiam iuxta mentem SS. PP. praecipue D. Thomae pluribus in locis praesertim 4. Contra gent. cap. 50. vbi ait: *Substantia incorporea*

pa.

Dub. V. Quenam sit Angelo ratio formalis existendi in loco violento?

patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cuiusdam. Et paulo post subdit: *Multò igitur magis virtute divina Spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt.* Et quest. de Anim. art. 21. vbi haec ait: *Quod aliqua spiritualis substantia alicui corpori obligetur, non est ex virtute corporis potentis substantiam incorpoream detinere, sed ex virtute alicuius superioris substantiae alligantis spirituales substantiam tali corpori.* Et post pauca: *Adherent ergo spiritus, licet incorporei, corporalibus ignibus cruciandi accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam.* Et paucis interiectis: *Maxima ergo assilio damnatorum erit, ex eo quod à Deo separabuntur, secunda vero, ex eo quod rebus corporalibus subdantur et infima & abiectionis loco.* Constat autem, quod si Angelus esset in loco violento per suam operationem, non subderetur loco, vt locus est, sed e converso locus subderetur Angelo, sicut omne passum subordinatur agenti: ergo iuxta mentem D. Thomae Angelus non est in loco per operationem, sed per passionem. Angelicum Praecept. sequuntur Caiet. in praef. art. 7. vbi ait: *Cum tamen constat, Demones locari per pati potius quam per agere.* Hispal. in 4. dist. 44. quest. 4. dub. 5. Capreol. ibidem quest. 2. art. 2. concl. 2. Ferrara 4. Contra gent. cap. 50. Gonet. disp. 4. de Angelis. art. 1. num. 32. & alij tam intra, quam extra scholam D. Thomae.

88 Et probatur ratione fundamentalis ex praedictis testimonijs deducta: Nam id est in Angelo ratio proxima tam in actu primo, quam in actu secundo constituendi illum in loco violento, quod est ei ratio proxima tam in actu primo proximo, quam in actu secundo contingendi praedictum locum; sed huiusmodi sunt in Angelo potentia eius passiva, & passio proveniens à loco violento: ergo ratio proxima in actu primo constituendi cum in loco violento est potentia eius passiva, & ratio in actu secundo est passio proveniens à praedicto loco. Maior patet: nam quilibet contactus rei locabilis & loci est ratio formalis in actu secundo existendi in loco: & ita contactus activus Angeli est ei ratio formalis in actu secundo existendi in loco connaturali, & contactus passivus corporis est ratio formalis in actu secundo constituendi illum in loco. Minor vero probatur: Angelus paritur à loco violento: ab eo enim ligatur, detinetur, & impeditur, ne possit operari, vbi vult, & secundum quod vult: ergo contingit locum immediate per passionem provenientem à loco violento.

89 Respondetibus forsitan, Angelum etiam contingere locum violentum per operationem: unde non est, cur operatio non sit ei ratio proxima existendi in eo.

Sed haec evasio multipliciter refellitur. Primo: Nam potest contingere, quod Angelus

detineatur, & ligetur à loco violento, & quod nullam operationem transcuntem habeat circa eum: ergo passio erit ei ratio existendi in eo. ¶ Secundo: Nam dato quod Angelus habeat aliquam operationem circa locum violentum, non tamen potest verificari, quod sit in illo ratione huiusmodi operationis per modum continentis ipsum locum, sed vice versa locus continebit & subordinabit sibi Angelum: ergo non esset in eo ratione operationis. Patet consequentia: nam dum operatio est ratio constituendi Angelum in loco, locabile continet locum, & non e converso. Antecedens etiam constat: alias non distingueretur à loco connaturali.

90 Tertio, & ultimo: Nam ex illis contactibus localibus, & loci ille censendus est ratio formalis constituendi Angelum in loco, qui est prior & immediatus immediate suppositus & virtutis, & est ratio alterius; sed quoniam Angelus exerceat aliquam operationem erga locum violentum, contactus cum illo per passionem & alligationem est prior contactu per operationem, & est ratio a priori istius: ergo contactus per passionem & alligationem est Angelo ratio formalis existendi in loco, non contactus per operationem. Consequentia liquet, praecipue apud Adversarios, qui aiunt, vni rei tantum debere assignari unam rationem existendi in loco. Maior videtur innegabilis. Et minor probatur: Tum, quia praedicta alligatio pro priori ad omnem operationem facit Angelum quoad eius substantiam & omnes eius potentias praesentem loco, cui alligatur, diffinito & coartato eius esse ad brevissimum spatium, impeditoque eius accessu ad omnia alia loca, quibus vellet accedere. Tum etiam & praecipue: quia ligat eius intellectum, vt non intelligat plurima, quae vellet intelligere, nisi ex licentia ipsius loci, & vt intelligat (velit, nisi) omnia illa, ad quae ignis applicat, neque ab eis cogitatum divertat. ligat etiam potentiam eius executivam, ne operetur ea, quae voluntas vellet, aut eo modo quo vellet, vel vbi, & quando vellet, & compellit, vt exequatur multa, quae voluntas nullatenus vellet: ergo prior est contactus per passionem seu alligationem, quam contactus per operationem, & ille est ratio a priori istius.

91 Ex dictis inferatur, passionem, quae est prima ratio in actu secundo constituendi Angelum in loco violento, posse afferre immediate eius substantiam; ac proinde runc potentiam, quae est ratio proxima in actu primo, non distingui ab ipsa substantia; licet possibile sit, quod eius passio praesens afficiat potentias. Hoc confectarium est iuxta mentem N. Salm. tract. 13. disp. 18. à num. 37. & procedit contra Gonetum disp. 15. de Angelis. art. 2. num. 39. Et quoad primam partem; ex qua dependet secunda, probatur ratione: Nam non repugnat Angelorum substantiam affici immediate qualitate

te

te eos alligant: ergo passio, quæ est ratio proxima in actu secundo constituendi Angelum in loco violento, potest afficere immediatè eius substantiam. Antecedens suadet: Tum ex communi ratione accidentis: quia non repugnat, aliquod accidens recipi immediatè in substantia: & ita eum seu duratio Angeli recipitur immediatè in substantia, cum adeo intime conveniat eius existentia, ut aliqui dubitent de distinctione reali inter esse & durationem: idemque dicendum est de tempore substantiam corporisibilem mensurante. Tum etiam: nam si Deus produceret substantiam Angeli absque suis potentijs, non esset caput, unde ei repugnaret alligari ab aliquo corpore velut ab instrumento divine virtutis: ergo non repugnat, Angelorum substantiam affici immediatè qualitate eos alligante. Tum denique: nam supposito, quod non repugnet, quod aliquod accidens afficiat immediatè substantiam Angeli, & quod producta sine vllis potentijs possit divina virtute alligari, defectu demonum substantia debet existimari affici immediatè qualitate hac alligante: quia hoc conducit ad acerbius eorum tormentum: ergo.

92. Sed obijciens primò cum Gonetio: Nam substantia Angeli non ligatur immediatè loco ab igne corporeo: ergo ratio proxima essendi in loco violento non est eius substantia. Antecedens probatur: nam in demone illud solum immediatè alligatur loco ab igne corporeo, quod immediatè impeditur à sui extensione: sed substantia demonis non impeditur immediatè à sui extensione: cum ratione sui non sit capax immediatè extensionis, sed ratione potentia eius operativæ: ergo.

Secundò: Nam ita se habet substantia Angeli sine potentijs, sicut substantia corporea sine quantitate: sed substantia corporea sine quantitate nullibi esset: ergo etiam substantia sine vllis potentijs nullibi esset.

Ad primam objectionem: respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem dic, quod licet substantia Angeli non sit immediatè capax extensionis ad locum naturalem, sed ratione potentie eius operativæ nihilominus potest ligari alicui loco immediatè: quia cum hæc ligatio fiat per passionem, & nulla sit repugnantia in eo, quod Angeli substantia recipiat immediatè qualitatem alligantem seu passivam, quælibet alligatio five efficiens immediatè potentiam, five efficiens immediatè substantiam impedit extensionem ad locum sibi naturalem. Et cum alligatio efficiens immediatè substantiam conducat magis ad tormentum demonis, eò quod illam subsicere sibi ignis, & alijs secluso, à potentia operativa quòd actu operetur, non sit maior capacitas ad prædictam passionem in potentia ac in substantia, inde est, quod Angelorum substantia potest esse potentia pro-

xime passiva essendi in loco violento: & defectu in demone concedendum est, quia ita conducit ad maiorem eius depressionem & humiliationem.

93. Ad secundam respondetur, negando mai. si substantia Angeli consideretur per ordinem ad locum illi violentum. Et ratio discriminis est: quia substantia corporea non habet nisi unicum modum essendi in loco, scilicet passivum, & hunc ratione quantitatis. Quod ut patet: Observa, quòd duplex tantum modus essendi in loco assignatur à Theologis, videlicet diffinitivè, & circumscriptivè. Substantia autem corporea sine quantitate nequit esse circumscriptivè, ut cum argente supponimus: quia non servat proportionem totius ad totum, partium ad partes, & indivisibilem ad indivisibilia, sicut nec corpus Christi in speciebus, in quibus est ad modum substantia. Nec diffinitivè: quia ad hoc requiritur, quòd sit sit hic, quòd non sit alibi: quod de substantia sine quantitate verificari non valet, quia simul potest esse in pluribus locis: vel, ut melius dicam, nullibi velur in loco, ut liquet in eodem corpore Christi. At substantia Angeli præter modum diffinitivum essendi in loco conaturali, seu per operationem, potest esse etiam in loco diffinitivè per passionem seu alligationem, quæ æquè primò potest convenire substantiæ & proprietatibus. Si verò velis, quòd substantia corporea sine quantitate afficiatur qualitate alligante, ad modum substantia angelica sine suis proprietatibus, non inficiabimur, sed cogemur ei assignare præter locum illi connaturalem, de quò supra locuti sumus, alium violentum.

§. II.

Argumenta opposita sententiæ.

94. Arguitur primò ex Div. Thoma 4. Sent. dist. 44. art. 3. quæstione, 3. ubi ait: *Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat, quòd spiritum incorporatum loco diffiniat, non tamen habet ex natura sua, quòd spiritum incorporatum loco diffinitum detineat, ut ita ligetur illi loco, quòd ad alia divertere non possit, cum spiritus non ita sit in loco naturaliter, quòd loco subdat. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum divina iustitie vindicantis, quòd sic detineat spiritum: & ita efficitur ei penalitè retardans eum ab executione propria voluntatis, ut scilicet possit operari ubi vult, & secundum quod vult: ergo iuxta D. Thomam prima Angeli ratio essendi in loco violento non est alligatio seu passio, cum per illam non diffiniatur loco.*

Et confirmatur ex eodem Ang. Doct. in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. ubi inquit: *Dico, quòd*

Dub. V. Quenam sit Angelo ratio formalis existendi in loco violento?

quòd Angelus, & quælibet substantia incorporata non potest esse in corpore velut in loco nisi per operationem. Idem tradit in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 3. ad 1. ubi loquens de Angelis post casum, hæc habet verba: *Non dicuntur esse in loco quasi ex loco corporali aliquid recipientes, sed quasi circa locum operantes aliquid.*

Ad argumentum respondetur, Angelicum præceptum in prioribus verbis loqui de loco Angelo conaturali, de cuius ratione est, quòd Angelum diffiniat, non utrunque, sed præcisè ut terminus extrinsecus; ad eum modum, quò effectus seu obiectum adequatum cuiuslibet potentia illam diffinit: unde non est mirum, quòd in huiusmodi loco fit per operationem. Certe tum in posterioribus loquitur de loco violento, de cuius ratione est, quòd Angelum active detineat, & Angelus passivè detineatur ab eo. Unde clarè constat, quòd fit in loco violento non per operationem, sed per passionem.

Ad confirmationem respondetur, D. Thomam in primo testimonio tantum loqui de loco Angelo conaturali, in quo Angelus est per operationem. In secundo etiam loqui de modo, quò demones sunt in aère (quamvis ab igne inferni torquentur) in quo sunt per operationem. Unde in neutro testimonio est sermo de loco violento.

95. Arguitur secundò: Nam demones, dum existunt in hoc aère, patiuntur etiam ab igne inferni immediatè immolatione virtutis & suppositi; & tamen non sunt in eo tanquam in loco: ergo prædicta alligatio seu passio non est Angelo ratio existendi in loco violento. Maior est certa: quia non mediatur aliud suppositum crucians.

Et confirmatur: Nam anime existentes in limbo sunt in eo tanquam in loco prænaturali; & tamen non sunt ibi per passionem: ergo nec passio est Angelis ratio existendi in loco violento. Maior est certa. Et minor suadetur: nam anime puerorum non patiuntur pœnam sensus: ergo non sunt in limbo per passionem.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem: Nam licet demones dum in isto aère existunt, aliquid patiuntur ab igne inferni immediatè immolatione virtutis & suppositi, non tamen existunt in inferno tanquam in loco. Cuius est triplex ratio: Prima: quia ut ignis inferni dicatur locus Angeli ratione qualitatis illum alligantis opus est, ut elevetur divina virtute iuxta modum sibi connaturalem; modus autem operandi cuiuslibet agentis est, quòd agit in propinquum: sed quia instrumentum Dei potest elevari supra modum sibi connaturalem, hoc est, ad hoc ut agat in distans, proptèr quòd ignis inferni non habet rationem loci respectu demonum, dum existit in aère, quamvis sint ei alligati, & agat

in eos immediatè immolatione virtutis & suppositi. Sicut nec Angelus dicitur esse in loco per suam operationem, dum operatur immediatè immolatione suppositi & virtutis per quancunque operationem, sed præcisè dum operatur iuxta modum suum; & ita si elevaretur ad operandum in locum distancem, non esset in eo tanquam in loco.

Secunda est: quia tunc verificatur, quòd Angelus est in igne inferni tanquam in loco, quando ignis ita agit in eum immediatè immolatione virtutis & suppositi, ut nec mediet, nec mediare possit aliud suppositum, sicut Angelus non dicitur esse in loco, dum ita operatur in illum, ut mediet vel mediare possit aliud suppositum agens. Quamvis ergo ignis inferni torquet demones existentes in hoc aère immediatè immolatione virtutis & suppositi, potest tamen mediare aliud agens, & propterea non sunt in eo tanquam in loco.

Tertia: quia ut passio sit ratio collocandi Angelum in loco violento, necesse est, ut ita ligetur loco, ut non permittatur, ipsum alibi operari extra spheram adequatam suæ activitatis. Unde cum spatium complectens infernum & aërem sit extra spheram activitatis angelicæ, inde est, quòd si alligatio ignis permittit demones operari in hoc aère, non sunt in igne inferni velut in loco.

Ad confirmationem respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Et ad probationem dicendum est, quòd licet anime puerorum existant in limbo tanquam in loco per alligationem; divina tamen providentia non apprehendit illum locum aut alligationem ut sibi disconvenientem, & hac ratione illa alligatio non habet rationem pœnæ sensus.

96. Tertiò & vltimò arguitur: Quia vni rei unica ratio existendi in loco debet assignari; sed Angelus est in loco per quantitatem virtutis: ergo non est in illo per passionem.

Respondetur, nullum esse inconveniens in eo, quòd alia sit ratio constituendi Angelum in loco conaturali, & alia in loco violento. Quia adest sibi diversus contactus. Hoc autem non habet locum in corpore: quia semper habet eundem contactum cum loco cum omnimoda commensuratione ad illum. Præterquam quòd non repugnat, quòd corpus per potentiam Dei absolutam sit in eodem loco per duplicem rationem essendi in illo. Nam in primis esset in illo circumscriptivè & quasi passivè per omnimodam correspondentiam partium ad partes &c. Deinde potest corpus existens in illo loco elevari à Deo, ut existens in eo loco possit immediatè immolatione virtutis & suppositi agere in illum locum: tunc enim existeret etiam in illo tanquam in loco ratione suæ operationis.

DUBIUM VI.

Primum Angelus possit esse in solo puncto velut in loco?

Dupliciter Angelus potest comparari in ordine ad locum, vel ad locum consideratum secundam magnitudinem, vel secundam parvitatem: Et quia scitu est dignum, quomodo se habeat Angelus in ordine ad locum utroque modo sumptum, propterea in hoc dubio utrunque explanare tentamus. Sed quia parva est difficultas circa locum consideratum secundam magnitudinem, hoc per modum suppositionis pramittimus, ut ad locum versus parvitatem accedamus.

§. I.

Due suppositiones.

97 S upponendum est primò, Angelum posse existere in loco divisibili. Ita D. Thomas in pref. art. 2. & dist. 27. qu. 1. art. 2. quem sequuntur communiter Theologi. Et suadetur eius ratione desumpta ex predictis locis. Nam id, quod est eminenter divisibile, quamvis sit formaliter indivisibile, potest existere in re formaliter divisibili; sed Angelus est huiusmodi: ergo potest existere in loco divisibili. Maior est certa: quia non alia ratione Deus est in loco divisibili, & anima nostra in corpore divisibili. Minor verò probatur: quia Angelus est indivisibilis propter suam perfectionem & elevationem à materia; sed quod ita est indivisibile, etiam est virtualiter & eminenter divisibile: ergo. Minor probatur: Tum, quia alias non distingueretur, id quod est indivisibile ratione suæ immaterialitatis, perfectionis, & limitationis, ab eo, quod est indivisibile ratione suæ limitationis, ut est punctum continuativum & terminativum quantitatis. Tum etiam: Nam quia Deus & anima nostra sunt indivisibiles ratione suæ perfectionis & immaterialitatis, sunt simul virtualiter & eminenter divisibiles, itaque æque existant in re divisibili, ac si essent formaliter divisibiles.

Et confirmatur: Angelus est in loco ratione suæ operationis; sed operatio Angeli, est id formaliter indivisibilis, est tamen virtualiter & eminenter divisibilis: ergo Angelus potest esse in loco divisibili. Minor probatur. Nam operatio Angeli potest inferri immediate effectum divisibilem: ergo est virtualiter & eminenter divisibilis. Pater consequentia: nam non alia ratione lux est eminenter calor, nisi quia producit calorem formaliter talem; & Angelus non alia ratione est virtualiter corpus, nisi quia potest producere res corporeas.

98 S upponendum est secundò, Angelum non esse ubique. Hæc suppositio appertè colligitur ex sacra Scriptura, in qua plerumque refertur Angelos moveri localiter; quod verificari non valeret, si essent ubique. ¶ Nec refertur, quòd de Deo quid simile proferat. Tum, quia non erat ipse Deus, de quo id predicatur, sed Angelus nomine Dei, ut tenent communis sententia PP. & Expositorum. Tum, quia de Deo non potest intelligi in sensu proprio, sed metaphorico, aliàs sequeretur maximum inconveniens: nullum tamen sequitur, ex eo quòd id accipiatur in sensu proprio de Angelo.

Et probatur ratione D. Thomæ in pref. art. 2. Nam id, quod est in loco virtute finitæ, nequit esse ubique; sed Angelus est in loco ratione virtutis finitæ: ergo non est ubique. Minor liquet: quia Angelus est in loco ratione virtutis operativæ in actu primo, & ratione operationis in actu secundo, quæ finitæ sunt. Maior probatur: Tum, nam quia Deus est infinitus, est immensus: & quia est immensus, est ubique: ergo e contra quod habet virtutem finitam in ratione localibus, nec est immensus; nec est ubique. Tum etiam: nam quia Deus habet virtutem operativam infinitam, omnia potest; & e converso quia Angelus est virtutis finitæ, nequit se extendere ad omnia: ergo pariter quod est in loco virtute finitæ, nequit esse ubique. Tum denique: nam quia corpus est in loco ratione quantitatis motus, quæ est finitæ, nequit esse ubique, sed est in loco maiori, vel minori iuxta maiorem, vel minorem eorum quantitatem: similiter quia anima est virtutis finitæ, nequit informare nisi certum & determinatum corpus ergo. ¶ Et confirmatur: quia Angelus est in loco ratione suæ virtutis operativæ, & eius operationis: ergo pari passu currunt esse in loco; & operari; sed quia est virtutis operativæ finitæ, nequit ad omnia operabilia se extendere: ergo neque potest se extendere simul ad omnia loca, & esse ubique. Quam confirmationem optimè explicat D. Thomas in 1. dist. 27. q. 3. art. 1. ad 5. ubi ait: Angelus diffinitivè in loco est per operationem suam, Deus autem non: quia operatio Dei est determinata sit ad locum, in quantum transit super operatum, non tamen in quantum exit ab operante: quia ita operatur hic, quòd etiam alibi. Sed Angeli operatio diffinita est ad locum utroque modo, quia ipse non operatur alibi quam hic. Non minùs perspicue id docet in pref. art. 2. in fin. corp. ubi explicat discrimen, quod est inter corpus, Angelum, & Deum his verbis: Diversimodè esse in loco convenit corpori, Angelo, & Deo. Nam corpus est in loco circumscriptivè, quia commensuratur loco. Angelus autem non circumscriptivè, cum non commensuretur loco, sed diffinitivè, quia ita est in uno loco; quòd non in alio. Deus neque circum-

Dub. VI. Utrum Angelus possit esse in solo puncto velut in loco?

cumscriptivè, neque diffinitivè, quia est ubique.

99 Sed obijci: Potest dari Angelus, qui operetur in toto orbe: ergo ite saltem esset ubique. ¶ Et confirmatur: Angelus, qui movet cælum, est in toto illo tanquam in loco: ergo Angelus, qui est perfectior illo, poterit esse in toto mundo. Antecedens videtur certum: quia est in loco per suam operationem. Neque quo hoc æquaretur Deo: quia Deus est in omni loco per essentiam, presentiam & potentiam, hoc est per intimum illapsum, Angelus vero tantum extrinsecè.

Respondetur, permitiendo antecedens. Sed ex hoc tantum posset inferri, quòd esset ubique secundum quid, non verò simpliciter: sicut si daretur tantum vnus Angelus productus, & vnus homo, & Angelus esset in homine tanquam in loco, diceretur, quòd esset ubique secundum quid, secus verò simpliciter: quia ad hoc desideratur, quòd posset esse in infinitis orbibus possibilibus. ¶ Adde: quòd nullus Angelus defacto productus (quidquid sit de possibilitate) potest secundum suam potentiam naturalem esse in toto mundo: quia congruum videri, ut totus ille solam sit Deo immediate subordinatus, proindeque quòd nullus Angelus ex productus habeat tantam virtutem, ut possit ratione illius subordinare sibi totum hunc mundum.

Ad confirmationem respondetur ex doctrina D. Thomæ loco relato sent. art. 2. & in pref. ubi ait: Nec tamen oportet, quòd si aliquis Angelus movet cælum, quòd sit ubique. Primò quidem, quia non applicatur virtus eius nisi ad id, quòd primò ab ipso movetur. Vna autem pars cæli est, in qua primò est motus, scilicet pars orientis. Vnde etiam Philosophus. Physic. virtutem motoris cælorum attribuit parti orientis. Iuxta quam doctrinam Angelus non est in toto cælo immediate inmediate virtutis & suppositi, quòd erat necessè, ut esset in toto cælo tanquam in loco.

His ita pramissis, procedimus ad præcipuam partem huius controversiæ, quæ in titulo questionis habetur. Pro qua fit:

§. II.

Affertio D. Thomæ.

100 D icendum est, Angelum posse se collocare tanquam in loco in solo puncto. Ita expresse D. Thomas in pref. art. 2. ubi ait: Vnde non est necessè, quòd determinetur ei vnus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis, vel indivisibilis, vel maior, vel minor, secundum quòd voluntariè applicat suam virtutem ad corpus minus, vel minus. Idem tradit loco supra relato sent. art.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

2. Angel. Mag. sequuntur communiter eius discipuli.

He probatur ratione ipsius S. Doctoris reducta ad hanc formam: Angelus est in loco per suam operationem liberam: ergo potest existere in solo puncto. Probatur consequentia: Tum quia dum aliquis operatur libere in aliquo pacto corporeo, & per operationem omnino elevatam à materia, potest operari immediate inmediate virtutis & suppositi intra illud spatium, quòd non excedit eius virtutem, in pacto minori & minori vtque in infinitum, imò in solo puncto, prout ipsi placuerit; sed operatio Angeli, quæ est in loco, est huiusmodi: ergo potest existere in solo puncto. Tum etiam: nam quia Angelus est in loco per suam operationem liberam & omnino elevatam à materia, potest se abstrahere ab omni loco, ita ut sit nullibi, ut tradit D. Thomas loco citato sent. art. 1. ad 4. ubi ait: Hoc non repato inconueniens, quòd Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet. Nec est inconueniens, ut tunc inquam, vel in nullo loco esse dicatur: ergo potest esse in loco minori & minori vtque in infinitum, imò & in solo puncto. Patet con sequentia: nam si quia Angelus est in loco per suam operationem liberam applicatam, potest se abstrahere ab omni loco; sicut potest se cohibere ab omni operatione circa omnem locum, non est, cur propter eandem rationem non possit eam applicare ad locum minus reari & minorem vtque in infinitum, imò ad solo punctum.

101 Huic rationi respondet primò Scotus; permitiendo quòd Angelus potest se cohibere ab omni loco. Sed inde non sequitur, quòd possit esse in loco minori & minori vtque in infinitum, & in solo puncto: quia perit habere locum determinatum versus parvitatem tam longitudinis, quam latitudinis.

Sed hæc evasio est prorsus voluntaria, quia non innitur solido aliquo fundamento, & sic rejicitur. Tum, quia si Angelo deberet assignari locus determinatus, et vult Scotus, necesse esset, ut esset absolute obligatus & commensuratus cum loco: non enim alia ratione corpus est commensuratum cum loco, nisi quia petit determinatum locum & situm; sed dum Angelus est in loco per suam operationem liberam, repugnat ei propter suam perfectionem, elevationem, & immaterialitatem esse obligatum, & commensuratum cum loco: ergo non debetur ei locus determinatus. Tum etiam: nam quia corpus ubique est in speciebus modo elevatori sua: corpus, & non commensurato cum illo, potest esse sub minoribus & minoribus vtque in infinitum, imò in solo puncto; sed modus, quo Angelus est in loco, est non minùs elevatus: ergo.

Adde primò: Nam cum Angelus sit in loco

co diffinitivè tantum; ille locus determinandus est ei, qui sufficit, ut sit hic, & non alibi, & nullo modo commensuratus cum loco: hoc enim & non amplius requiritur ad modum existendi in loco diffinitivè ut contrapostum ad modum existendi in loco circumscriptivè, ut vidimus ex D. Thoma num. 98. sed ad hoc verificandum non requiritur, quòd petat locum determinatum di- hibilem: siquidem est, collocaretur in solo puncto, utrunque salvaretur, ut ex se liquet: ergo.

Adde *secundò*: Angelus potest, si sibi liberit, se collocare in loco minori, quam est adæquatus correspondens suæ virtuti operativæ: ergo potest se collocare in minori & minori, imò in solo puncto. Antecedens est certum; aliàs cogercatur, vel esse nullibi, vel in loco adæquato, quod est contra modum elevatum, quo Angelus est in loco, non commensuratum cum illo. Consequentia verò probatur: Nam semel quòd possit se collocare in illo minori, nullum est caput, ex quo decerneretur, ut sit in hoc minori, & non in alio minori & minori vsque in infinitum, vel in solo puncto; vel assignet illud Scotus.

102 Respondet *secundò*, assignando caput, ex quo repugnet Angelo esse in loco minori & minori vsque in infinitum, vel in solo puncto, videlicet ex eo quòd quantitas potest esse tam parva, ut nullius transmutationis sit capax. Et si hoc accidere potest in quantitate divisi- bilis, quid mirum, quòd conveniat puncto, cum Angelus nequeat in solum illud agere, neque mo- vere ipsum localiter, ut tenet communior opi- nio Theologorum?

Sed hæc evasio, quamvis majorem appa- rentiam habeat quam præcedens, adhuc non evincit vires supradictæ rationis. Et imprimis id, quòd tangit de quantitate parva, refellitur sic: Nam quælibet pars loci constet ex materia & forma; sed quælibet pars constans ex materia & forma, quamvis coexistat in toto, potest di- versis accidentibus actuari, & transmutari: ergo nulla est pars quantumvis minima, in qua non possit operari, ac proinde existere in ea tanquam in loco. Deinde id, quòd tangit de puncto, non minus perspicue rejicitur: Nam demus gratis, quòd Angelus nequeat agere in solo puncto, vnum tamen non potest negari, videlicet quòd Angelus potest agere immediate inmediate virtutis & suppositi in solo puncto, quamvis tunc nequeat non agere in aliqua eius parte me- diatè & ratione illius; sed in prædicta hypothesi esset tanquam in loco in solo puncto: ergo. Minor ab omnibus debet concedi. Et colligitur ex doctrina D. Thomæ loco relato Sent. art. 1. ad vltim. asserentis Angelum tantum esse tanquam in loco in ea parte, in qua operatur immediate inmediate virtutis & suppositi, & consequen- ter ad hoc asserit ibidem, & in præf. art. 2. An-

gelum moventem totum coelum non esse tan- quam in loco nisi in parte orientali, ut vidimus in hoc dubio num. 99. Maior verò suadetur hoc exemplo: Demus, quòd globus sit perfectè sphericus, & cadat supra corpus perfectè pla- num, tunc posset illud totum movere, ita ut tan- geret illud immediate inmediate virtutis, & suppositi in solo puncto; sed potiori iure debet hoc Angelo concedi: ergo.

§ III.

Argumenta opinionis contrariæ.

103 PRO opposita sententia refertur Scotus à pluribus eius discipu- lis, & extraneis, eamque expresse defendit Va- lencia disp. 4. quest. 3. punct. 3. pro qua etiam refertur quidam Hibernus. Et arguitur *primò*: Angelus idè potest esse in loco adæquato, quia est in illo per præsentiam suæ substantiæ, quæ est tantæ, vel tantæ perfectionis substantialis; sed semper est eiusdem perfectionis substantia- lis, nec est in eius voluntate habere minorem: ergo semper est in loco adæquato, ac proinde nequit esse in minori & minori loco vsque in infinitum, & potiori iure nequit esse in solo puncto.

104 Huic argumento respondent commu- niter Scotista, & Patres Societatis, qui nostram sententiam tenent, concedendo præmissas; sed negando consequentiam. Consent enim, quòd licet substantia sit Angelo proxima ratio essen- di in loco, subditur tamen voluntati illius ad tantum, vel tantum *vbi* intra spheram adæquatæ loci, ac proinde poterit ad eius libitum in minori & minori parte loci, imò & in solo puncto se constituere.

Hæc tamen solutio omnino displicet. Pri- mò ea parte, qua supponit, substantiam esse in Angelo proximam rationem essendi in loco; cuius oppositum docuimus tract. 1. disp. 4. dub. 1. generaliter de substantia purè spiritali. *Secundò*: Quia difficile percipitur, quòd Angelus sit proxime in loco ratione propriæ substantiæ, & quòd possit acquirere maius & minus *vbi* in- tra spheram sui loci adæquatæ, estò connotet applicationem liberam suæ voluntatis. Tum, quia licet causa formalis, ut causet suum effectum formalem, dependeat ab applicatione causæ effici- entis per modum conditionis se habente, ne- quit tamen diversum effectum formalem præstare, si nulla est mutatio intrinseca vel ex parte suæ entitatis, vel ex parte alicuius dispositionis (hoc dicimus propter quantitatem, quæ diversi- modè disposita per densitatem & raritatem causat maiorem, aut minorem extensionem localem, estò nihil quantitatis addatur, aut adimat- ur) sed voluntas tantum concurrat per modum causæ efficientis, ad hoc ut Angelus sit in loco: ergo.

ergo si eius substantia esset ratio proxima con- stituendi illam in loco, & hæc nullam muta- tionem patitur vel ex parte suæ entitatis, vel ex parte alicuius dispositionis, planum est, quòd semper occuparet locum æqualem in exten- sione.

105 Tum etiam (per quod præcedens probatio declarat) Nam Angelus indivisibilis indivisibili spatio adæquatur, ut concedunt Ad- versarij: ergo licet libera applicatio sit causa efficiens, vel conditio *sine qua non*, ut Angelus mo- dò sit in hoc loco, & modò in alio, si tamen est in loco ratione suæ substantiæ, & hæc invariabilis permanet, non poterit modò occupare maiorem locum, & modò minorem. Probatur conse- quentia: Nam Angelus existens in solo puncto, si postea vellet occupare simul aliud punctum, vel priori contiguum aut distans, vel hoc feret per præsentiam formaliter divisibilem, vel per replicationem præsentiarum; neutrum dici potest: non primum, quia in subiecto indivisibili nequit recipi accidens formaliter divisibile: nec secun- dum, aliàs simul esset in dupli- loco sibi adæ- quato: ergo si Angelus est in loco rationis suæ substantiæ, non potest modò occupare minorem locum, & modò maiorem. *Maximè*: Quia si substantia Angeli est ratio proxima constituendi illum in loco, vel locus illi adæquatus est solum punctum propter proximè dicta; vel non erit ratio, cur extendatur ad quatuor leucas, & non limitetur ad tres, aut extendatur ad quin- que, ad sex, & sic vsque in infinitum. *Adde*: quia omnibus Angelis competeret idem locus adæquatus, quia ex parte eorum substantiæ esset equalis indivisibilitas.

106 Neque evasies vim harum impugna- tionum, si dicas, quòd quia Angelus est in loco non per commensurationem ad illum, sed mo- dò elevatori, nempe totus in toto, & totus in qualibet parte, potest modò esse in minori loco, & modò in maiori: sicut ob tandem rationem animarationalis modò informatur minorem ma- teriam, & modò maiorem; & corpus Christi aliquando est sub minoribus speciebus, & ali- quando sub maioribus iuxta beneplacitum con- secrantis.

Non (inquam) evasies: Nam Deus est totus in toto loco, & totus in qualibet parte illius; & tamen non potest non replere omnem locum creatum: ergo. *Item*: Quamvis anima rationalis sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte illius, & possit informare modò minorem materiam, & modò maiorem, non potest ad libitum aliquando informare totum corpus, aliquando solum vnam partem illius, quia ex natura sua est determinata ad hoc, ut actuet om- nem materiam sibi vitam vi generationis & nutritionis. *Tandem*: quòd corpus Christi pos- sit existere aliquando sub minoribus speciebus, aliquando sub maioribus iuxta beneplacitum

consecrantis, provenit ex natura, seu institutio- ne sacramenti Eucharistiæ ipsum ad hoc deter- minante: sed substantia angelica non est ex na- tura sua determinata ad hoc, ut diversis tempo- ribus sit nunc in maiori loco, & postea in mi- nori: ergo si est ratio formalis constituendi An- gelum in loco, semper debet esse in æquali loco. Patet consequentia, quia esset omnino invari- abilis ab intrinseco.

107 Vnde, prædicta solutione missa, ref- pondetur argumento adducto num. 103. negan- do suppositum maiorem, videlicet quòd Angelus sit proxime in loco per suam substantiam, cum sit in eo ratione suæ operationis liberæ. Ex quo plane deducitur, perfectionem substantiæ aut virtutis illius operative non minui, ex eo quòd non se collocat in toto loco: sicut nec perfectio substantiæ & virtutis Dei minuitur, ex eo quòd non producat omne id, aut omnem locum quem potest producere.

108 Arguitur *secundò*: Nam si Angelus posset esse in minori & minori loco vsque in in- finitum, & consequenter in solo puncto, esset virtutis simpliciter infinitæ. Sequela probatur: Nam alicuius virtutis est Angelo continere se in aliquo loco: ergo maioris virtutis est se con- sistere in minori: ergo virtutis est infinitæ se consistere in minori & minori in infinitum. Patet consequentia: nam quia ad videndum minus obiectum requiritur maior virtus in visu, etiam ad videndum minus & minus obiectum in infi- nitum, requiritur virtus infinita.

Respondetur negando sequelam mai. Ad cuius probationem, concessio antecedit. neganda est consequentia: quia cum Angelus continuatur in loco ratione suæ operationis dependenter à libera applicatione suæ voluntatis, non arguitur maior aut minor virtus, ex eo quòd se collo- cet in maiori aut minori loco, dummodò ver- que locus continetur intra spheram sui loci adæquati: quia virtus eius non defumitur nisi ex amplitudine sui loci adæquati. Vnde argue- retur Angelum habere virtutem simpliciter in- finitam, ex eo quòd posset se collocare in ma- iori & maiori loco vsque in infinitum; sicut ve- rò ex eo quòd possit se constituere in solo pun- cto: sicut non argueretur virtutis infinitæ ille, qui habens potentiam ad ferendum pondus vs- que ad centum, eam applicaret ad ferendum pondus vs- que quinquaginta, ut viginti, ut decem &c. argue- retur tamen virtutis infinitæ, qui posset terra pondus vs- que centum, ut mille, & sic in infinitum. Neque exemplum potentia, vsque aliquid con- vincit ob notam disparitatem inter eam, & rem quam agimus: quia obiectum potentia vsque ad eam movendam ex vna parte non dependet ex libera applicatione voluntatis, sed ex propor- tione obiecti cum potentia; & ex alia ad viden- dum minus & minus obiectum requiritur maior efficacia ex parte potentia vsque, siquidem ob-